

C. Sallustius Crispus sibi ipsi s.

Conloquendi gratia domum Statiliae, L. Statili sororis. Huic mulieri tantum eloquentiae, prudentia haud secus, ut, quom dixissem res ante coniurationem contra rem publicam patefactam bene sese habuisse videri, statim ‚non mihi‘ responderit. Quamquam non stultius potui incipere, arbitris, ut rogaverat, procul amotis tamen sermo mihi ortus cum ea gratus et utilis. Interrogata de fratre relicuisque Catilinae sociis, quid de illis eorumque consiliis sciret, Statiliusne ei narravisset an aliter conpertum esset, huiusce modi verba locuta est:

‚Tametsi conplures annos de iis rebus silere melius putabam quam aut parum aut nimis dicere, tamen tibi, quom tua incepta honesta sciam, quam honestissime respondeam. Mihi nec Catilinae facinora nec Statili probantur, gratiamque quidem habeo maximam patri illi patriae nuper tam infeliciter amisso, quod nos omnes e Catilinae faucibus servavit mucronemque eius a iugulis civium deiecit. Item consulta tunc senatus, quoi legibus neglectis cives velut hostes iugulari placuit, probare nequeo. Iam tum, Caesare Cicerone Catilina nondum interfectis, potentia paucorum formidulosa fuerat. Nex civium, licet ii fuerint hostes, quid iuvat? Parricidium Caesaris, quem regie sese gerere aliquot senatores arbitrati, quid iuvat? Nunc nobis omnibus quidam potentes formidini. Quot cives nuperrime proscripti? Quot milites non solum ad Italiam, sed etiam Graeciam et Aegyptum vastandam parati? Aes alienum nonne adhuc ingens?‘

Multa locuta, quom sileretur de aliis. De Catilinae inceptis tantummodo haec: Se consilium urbis incendendae fictum putare ab iis, qui aut plebem primo Catilinae faventem terreri posse sperarent aut invidiam in Ciceronem postea ortam leniri. Nihil de Statilio.

Cum Volturcio conloquium cras.